



Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Ivdiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos & Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

Capvt XLII. An insolubilitas nonnullis meritò quodda[m] malum matrimonij esse videatur?

urn:nbn:de:hbz:466:1-45686

C A P V T XLII.

An insolubilitas nonnullis merito quoddam malum matrimonij esse videatur?

L

Iob. 17. 15.

Eccles. 25. 32.
ib. v. 22.

1. Cor. 7. 27.

Ouid. lib. 4;
Metam.

II.

Hic igitur tanto matrimonij *bono*, seu *insolubilitati* duo quæ suprà tetigi, aduersari videntur. Primum est, quod id multis *malum* potius, quam *bonum* matrimonij sit nominandum. Mallent enim matrimonium solibile esse, ac mutari posse. Hinc morte vxoris aut mariti gaudent, viciat illud: *Vidua illius non plorabunt*. Alterum, quod vice versa, ijs, qui coniuges amant, coniugium satis insolubile nequaquam videatur esse. Nam ad primum quod attinet, quis dicat, esse bonum, gestare compedes, manicis ligari, constringi catenis, ferro vinciri ad remos ducendos, aut funibus catastæ esse illaqueatum? At plurimi remigare in mari mallent, aut catenis esse constricti, quas sperarent se rumpere posse, quam vxori aut marito inseparabiliter esse addicti: cum sit *plaga cordis mulier nequam*; & præstet, scriptura teste, *commorari leoni & draconi*, quam habitare cum muliere nequam. Est enim utique *plaga maxima & continua*; siquidem per totam vitam durat. *Abi-gatus es uxori? noli querere solutionem*. Vult enim Apostolus, vt unusquisque, in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat. Et vinculum matrimonij, vinculum est adamantinum. Hoc vinculo quisnam abligitorii astrictam feminam honestam viderit, & non aspicit, vt olim Perseus

Andromedam ad duras religatam brachia cantes, atque o istis non digna catenis? Sed ipsi maximè coniuges non raro, sub hoc iugo, gemunt, & suspirant, vellentque hunc nudum plus quam Gordium, si non possit solvi, etiam rumpi. Quod ille fecit, qui diuino humanoque iure posthabito, vetulam suam vxorem, cum iuuenula alterius commutauit, promantissa, & vaccam addens; quasi idem ius esset equorum, & vxorum.

Neque vetula tantum ætas nauicam parit, ob quam multi, velut veterem rugisque contractam vestem, coniugem contemnunt, optarentque à se amoliri, si possent; sed multò magis mores.

mores asperi, morbos, incompositi, barbari. Haud enim p-
etum Pitheci vbique locum habet; quod, vt in historicis Snidae
referunt, in proverbiū abijt. Ille enim continentē cum uxore
iurgans, coram amicis pepigit, se neque verberare, neque va-
pulare, neque mordere, neque morderi; neque mulierem capillis tra-
here, neque ab ea barba trahi velle. Rusticus fuit, qui, defuncta
vxore, solantibus diceret: vxorem inuitam, se non inuito,
mortuam esse. Caussam rogatus, respondit, diuturni admo-
dum coniugij toto tempore, nunquam se idem cum coniuge
sensisse, nisi quod aliquando, ardente domo, uterque prius in-
de euadere contenderit. Aliam olim fuisse, aiunt, neque frugi,
neque opera proba feminam, mariti ingratij pleriq; omnia actitan-
tem. Et morosam toties atq; iurgiosam, quoties nihil eec animi senten-
tia imperitabatur. Usus forte venisse, ut ad vorticis flumen amnem-
egressa, eadem prolapsa aquis mergeretur. Ea re confessim domus
perlata, vulgatog; coniuges funere, maritus composito ad mastianum
vultu, querulus accurrere, de loco, deq; letho scitari. Erant qui ho-
mini ad extremum flumen deducto sati fecerent. Et nimis hoc loci,
inquit, fatale dominus tua est precipitum. Enim uero hic calamitu-
sum ille ei dare; miserum se, & orum nosum dicere; uxorem sibi, quam
cuius non posset, certe mortuam reposcere, & sacrum Nouem dial
optare. Sed qui spectaculo aderant, ei animum sufficere, operamq; in-
sisterunt in coniuge scrutanda promittere. Accipit viduus conditio-
nem, indeq; aduersa ripa instituit ultimas retro scaturiginos legere, si-
qua cadaver ex aqua emersum patet. Id alij conspicatis & in ri-
sum effusi, eam vero luculentam dictitant esse stultitiam, quando ni-
bil contra torrentem agi, sed omnia secundo amne ferri insueissent.
Quo ille consitio nihil sane permotus, sibi omnium uni aiebat de indo-
le, atque ingenio femina compertum exploratumq; esse: eam, quoad
vixerat, semper in vetitum nisi solitam, neque dum, tamen si mor-
tuam, eos mores desitū: sibi indubie certum persuasumq; esse, illam
proinde (secundus multo ac alias res) in aduersum flumen nisi.

Talem nacti uxorem vtique optant multi non solum in
præterfluenre mergi, sed etiā in mare Creticum portari. Hinc
inter Alpes, non nemo fertur, coniuge sua, inter extremos do-
lores, cum morte proxima luctante, tibiam arripuisse, & cho-

rex la-

III.

reæ lætissimæ modulos incinuisse. Mirantibus, & increpantibus ac cessare iubentibus dixit: Wir seynd mit Freuden zu jum men kommen/ so wöllen wir auch in Freuden von einander scheiden. Hoc est, *Cum gaudio nuptias celebravit, cum gaudio etiam exequias celebrabo, ut ultima primis conueniant.* Hoc est, quod in Græcis epigrammatiſ ille maritus queritur, ſe in toto matrimonio ſuo, tantum duas felices lætasque horas habuiſſe,

Kai μιαν ἐν θαλάπῳ, και μιαν ἐν δαράρῳ: Fecit igitur ei *Lætitiam primam thalamus, tumulusq; secundam.*

Sæpius audiui, vxorem cuiusdam grauiter ægrotantem, in tam profundum ſomnum lapsam, ut ab omnibus pro mortua habita, in capulum imponeretur, atque iam etiam efferretur. In funebri pompa, cum baiuli incautiū festinarent, ſandapilam, in quodam flexu plateæ, ad angulum domus, impegerunt. Concuſſo vehementer feretro, quæ intus iacebat excitata ad ſe redijt, & inde etiam ad maritum. Non potuit illam domo excludere, licet optaret, ſub monte, cum Encelado, ſepultam. Postquam autem aliquamdiu denuò vnā vixerunt, coepit vxor denuò ægrotare, ex quo morbo verè defuncta eſt. Funere iam processuro viduus baiulos ad ſe vocatos ſeriò monuit, ut ſiu-xta flexum plateæ funus portarent, diligenter attenderent, ne feretro ad angulum domus denuò offendο, vxorem quoque denuò excitarent. Quæ ſive historia eſt, ſive fabula, ſatizamen indicat, optari potius à multis coniugij ſolutionem, quam indiſſolubilitatem. Ego ſanè arcularium noui, qui pelle correptus, vxore eadem lue infecta, ſingulis pænè horis, interrogauit: An vxor ſua nondum defuncta eſſet? Tandem ubi illi nunciatum eſt, vixille vxorem; iam igitur, inquietabat, & ego libenter è vita diſcedam, dummodo illa, non ſuperuiuat. Unica igitur hora elapsa, eam ſecutus eſt. *Quid?* nescio, timeo. Et hic ipſe tamen, dum mentio fieret apud alios, nunquam solebat de vxore ſua male loqui, neque audiebatur cum illa litigare. *Quid optaffet, si habuiffet litigiosam?* aut qualis illa fuī, cuius in dialogismo, hoc circumfertur epitaphium? *HIC VIATOR, MIRACULUM. HIC VIR ET Vxor NON LITIGANT?* *Qui SVMVS NON DICO. AT IPSA DICAM, HIC DEBRIVS EBRIUS.*

ME

ME EBRIAM NVNCVPAT. NON DICO AMPLIUS. HEV VXOR,
ETIAM MORTVA LITIGAS! Quid quod multi, nisi in propin-
quo mortem sponsæ esse sperarent, ne nuptias quidem celebra-
rent? Notum est illud, de eo, qui, idcirco vxorem duxit, quia
tussuit: sperauit enim tussim esse bonæ rei nunciam, hoc est,
vetulam citò morituram, & aurum relicturam. His igitur ta-
libus omnibus *insolubilitas* matrimonij quia molestissima est,
non modo hanc ipsam rem necessitatem dicemus, sed pœnam & sup-
plicium, ait S. Chrysostomus.

Hæc est obiectio, quæ vulgo, & nouas vxores optantibus,
taedio antiquarum, persuadet, non *bonum*, sed *malum* matrimo-
nij esse ac dici debere inseparabilitatem. Qua de causa, non C.
Caligula modò, apud Suetonium & Xiphilinum, sicut Mem-
mum Regulum cogit, ut Lolliam Paulinam vxorem suam
dimitteret, sibiq; despondéret, ita & eandem rursus, pari le-
uitate repudiauit, sed alij hodie etiam multi, vt suprà dixi,
vxores mutant, sicut equos, aut domos; & migrant de una ad
alteram: sed reluctantे conscientia, repugnante Paulo, ira-
scente Deo. His igitur respondeo, multis sanè male esse, quod
non possint à coniugibus separari: sed quero, num id malum,
ex coniugio, an ex coniugibus proueniat? Si ex coniugio, cur
boni coniuges, tam ægrè separantur? Cur nihil timent magis,
quam ne mors, aut alijs infelix casus eos diuellat? Ex quo
clarum est, coniugio culpam non esse tribuendam. Tribuen-
da est igitur coniugibus: quibus si, suā culpā, male est, cu-
Deum accusant coniugij institutorem, & iustum temeritatis
punitorem? Ut enim nihil dicam de desertoribus suæ vocatio-
nis, de quibus suprà memini, illud iterum iterumque mo-
nendum est, imprudenter cæpta plerumque infeliciter finiri.
Quam temerariè non pauci vxores dicunt; quam sine vlla de-
liberatione, sine consilio, ne parentibus quidem interrogatis,
se in nuptias coniiciunt? Vna ebrietas, chorea vna, vnum
munusculum, vnum annulus, vnum oculus, vnum nutus sponsos
facit. Quam nunquam antea viderunt; cuius sermones, mo-
res, opes nunquam explorauerunt, eam, quæ ex itinere in ho-
spitio diuertit, & de fenestra vinclè salutavit transuntem,

S. Chryf. lib.
de Virginit.
cap. 43.

IV.

Y y leuicu-

leuiculam, fatuam, loquacem, dicacem, voracem, bibacem, & à sex jam alijs procantibus repudiatam, illoco oculis destinant, & plenis desiderijs venantur. Fuit non ita pridem iuuenis, qui manè in scholis cæsus virgis, à prandio vxorem duxit, in solatum doloris. Adeò in promtu sunt nuptiæ etiam adolescentibus. Quin & illi assidue loquuntur de thalamis, qui adhuc apud essent cunis. Apud quos verè malitia dicitur ætatem superare. Nec pudet pueros fari, quod viri erubescant. Immo adeò imberbes ad coniugia anhelant, ut dubitari possit, vter è sponsis nubat, ille an illa? vterque ad æqualitatem mento glaber. Ut enim illa crinito capite pro Apolline, ita ille inuesti facie pro vna de Musis potest haberi. Quod enim sponsæ sexus, id spuso dat ætas, vnicæ vertigine in nuptias consentienti. Quod & de feminis potest dici. Duarum exempla certissima refero, quæ Suecico hoc bello, Monachij, muliebris leuitatis illustre dederunt documentum. Ancillæ eæ fuerunt, ast, vt dominæ ferent, maritos non quæsuerunt, sed fortè transeuntibus, vel avi visco, adhæserunt. Crebrò tunc, per urbem, milites vel noui, vel veterani, proficisciabantur. Ancillatum ergo vna, cum milites traducerentur, è puteo aquam hauriebat, neque pileo testa, neque lacernulâ amicta. Illam ita hauientem, siue ioco, siue petulanteria militari gregarius miles sic appellans salutabat *Quid seruilia ista facis? me comitare: dixit, & vxorem habuit.* Nam illoco eum est secuta, neque cuiquam domi valedicens, neque quidquam regularum suarum secum vt portaret auferens; ipsa etiam hydriâ ad puteum relicta. Quod tanto minus est mirandum, cum altera ancilla in aditu, atque ad ianuam ædium suarum stans, & infantem dominæ brachijs gestans, à simili milite transeunte inuitata, infantem ipsum in foribus depositum deseruerit, militemque sit secuta, nunquam antea vel visa, vel auditu cognitum. *Quis equum tam temerè emeret? quis ex improviso domum, aut villam incognitam prælinaret?* Quare etiam hac de cauſa stulte se excusârunt illi, quorum unus dixit: *Villam emi, & necesse habeo exire, & videre illam:* alter autem, *Iugaboum emi quinque, & eo probare illa. Stultissimi homines, itâne villam & bones emitis non visos? & probatis postquam*

postquam emisisti? Quid, si displiceant, facietis? Paro stultitia
sive iuuenes, sive pueræ coniugibus se tradunt ignaræ, an sint
eos postea amaturi. Et villarum aut boum emptio, potest re-
tractari, si fraus, si vitium latens deprehendatur; qui autem
vxorem duxit, non potest retractare contractum. Tanto igitur
maior est temeritas, & poena sua dignior, si quis se in matri-
monium præcipitat, antea non diligenter expusum. Itaque
videte, fratres, quomodo cuncte ambuletis, non quasi insipientes, sed Eph 5.15.
sapientes. Nolite fieri, sicut equus & mulus, quibus non est intelle- Psal. 31. 9.
citus, Hi namque, qui coniugium ita suscipiunt, ut Deum a se, & a Tob. 6.17.
sua mente excludant, & sua libidini ita videntur, sicut equus & mulus,
quibus non est intellectus: habet potestatem demonium super eos: ex-
agitat eos; seminat discordias, lites, & mille mala, quæ vtique
matrimonium reddunt onerosum & exosum. Itaque his tali-
bus, qui brutorum more conueniunt, & sine ratione vxores
non eligunt, sed impetu quodam voluptatis ducunt, meritò
postea displicet, quod immerito appetuerunt. Vera prudentia S. Basil. hom.
erorum, que agenda sunt, cognitio est; quam si quis ri- 12.
te scelatus fuerit, nusquam ab officio virtuteq; abscedet; nunquam
vitiorum peccatum incurret. Igitur qui prudentia sermones cognoscit,
ut bonus trapezita, quod bonum fuerit, retinebit, & ab omni specie
mala abstinebit, ait S. Basilius. Et alibi. In omni, inquit, qua si so-
cipitur, actione, anteedere prudentia debet. Nam, ea remota, ni-
bilicuius generis est, quod licet bonum videatur, non in vitium re-
cidat, si aut alieno tempore, aut non adhibita moderatione fiat. Ra-
tio vero & prudentia, ubi rebus bonis idoneum tempus ac modum de-
finiunt, mirabile est, quantus, ex earum usu, cum in dantes, tum in
accipientes fructus redundet. Itaque & qui vxorem prudenter
elegit, libenter seruat, nec optat eius amissionem. Siquidem,
teste D. Bernardo, discretio omni virtuti ordinem ponit, ordo mo- S. Bern. serm.
dum tribuit & decorum etiam & perpetuitatem. Nihil ergo mi- 49. in Cantic.
randum, si coniugium non optat perpetuum esse, qui in illud
se, sine discretione, immersit.

Et quoniam in nostra causa cœci judices sumus, affectu-
sentientiam trahente, etiam illi, qui sibi alioqui sapere viden-
tur, in re tanti ponderis, alios consulere consueverunt; quanto

V.

Y y 2

id

id æquius est, eos facere, quos aut ætas adhuc nondum docuit

Prou. 12. 15. sapere, aut iuuenilis impetus, & præceps cupiditas in sua deli-
deria trahit? *Qui sapiens est, audit consilia.* Et hoc ipsum confu-

Eccles. 31. 24. lit diuina sapientia, dum ait: *Fili, sine consilio nihil facias;* ne dum,

vt vxorem ducas, & post factum non paenitebis. Si autem quis,

quam est in hac re consulendus, consulendi sunt parentes, &
quia obseruantia hoc suadet, & quia illi annis & experientia
sunt prudentiores; & quia utique liberis suis, quam optimè

volunt: & quia exempla sanctorum ita docent. Nam & Isaac

Gen. 24. 67. vxorem accepit, quam pater ei dedit, & Rebecca consilium
patris sui in ea re secura est: & filio suo Iacob in mandatis dedit,
vt non acciperet vxorem de filiabus Palæstinorum, sed aliquam

Gen. 28. 1. ex filiabus Laban. Quin, in veteri lege, præceptum de matr-
rimonio filiorum parentibus potius datur, quam filiis, ne jun-

Exod. 34. 16. gantur Chananæis. Hinc S. Ambrosius laudat illud Euphi-

Deut. 7. 3. dis virginem ita loquentem facientis: *Sponsalium quidem me-
rum pater meus curam subibit, hoc enim non est meum.* Et alibi scri-

S. Ambr. I. 1. bit, Syssinium iuste indignatum, quod, se inscio, filius vxorem

de Abraham cap. vlt. ducere voluisse. Delinquunt igitur liberi, quando sine iusta &

S. Ambr. in rationabili caussa, parentibus inscijs aut inuitis, matrimonia

nunt. Horum consilia & consensum temerè qui neglexerunt,

sæpe puniti sunt, nimisque eos serò pœnituit, postquam jam in-

ter medios vortices & fluctus frustra conati sunt euadere. Me-

Amphiloch. memorat Amphilochius Episcopus, Proterio senatorij ordinis vi-

in vita S. Ba- ro, filiam fuisse formæ non contemnenda. Eam domesticus

filij apud Sur. seruus deperibat, homo nequam, cui ne quidquam decesset im-

probitatis, artes magicae coronidem, ad cetera scelera addi-
runt. His vsus puellam decepit, eamque tam insano amore de-

mentauit, ut illa mentis incendium non posset premere, sed,

palam erumpentibus flammis, seruum in matrimonium sibi da-
ri postularet. Pater, qui & conditionem seruilem horrebat in

proco, & filiam iam dudum Deo consecratarat, ægerrimè peti-

tionem illius intellexit, multisque ei rationibus obsistebat. Sed

ardebat puella, rationesque rationibus opponebat; cumque,

parens minis, & precibus eam conaretur à vecordi consilio ab-

ducere, *Ant comple, inquietabat filia, desiderium, aut breui me ex-*

tinbam

tinctam videbis; additque, *Ni quantocujus consentiret, in die iudicij, rationem pro occisa filia redditurum.* Talibus verbis pater in mortorem datus, tristitiaque paene absorptus, amicissimos quoque interrogavit, quid sibi esset faciendum? Consuluerunt illi omnes, satius esse, ut amore insanienter in vita conservaretur, quam ut negato coniuge, causa esset mortis violente. Igitur filia ad se vocatae inesta voce dixit: *Vade, misera, multum lugibis aliquando, cum facti paenitebit, nec tamen mederi poteris.* Exultauit filia hoc consensu, quantumvis extorto. Fiunt nuptiae. Gaudet sponsa, ridet sponsus, triumphat diabolus. Sed breve fuit gaudium diuina benedictione destitutum. Non diu enim, post coniugium initum, obseruatum est, seruum non ingredi Ecclesiam, neque esse Christianum. Quod quam primum relatum est nonne nuptarum, doloris vehementia humi se prostravit, suisque faciem vnguis dispersit, pectusque pugnis tundens, tota in planctus effusa sic est vociferata: *Nemo parentibus non obediens saluus unquam fuit. Quis patri meo annunciat ignominiam meam? Heu me miseram, in quantam me perditionis voraginem demersi? Cur in lucem edita sum, cur non continuo raptasum?*

Quis huic tam amaro coniugio causa fuit? Deus? an homo? an diabolus? Nimirum diaboli instinctu, hominis consensu, Dei permissu talia contingunt. A Deo pena est, ab homine culpa. Vtraque nos docet, ne inconsulto quidquam agamus. *Ne innitaris prudentiae tuae,* ait Salomon. Et S. Basilius: *Profecto diuina quadam res est consilium,* inquit, *est namque animi coniunctio, charitatis fructus, mentis demissa demonstratio.* Superbia enim magna habetur, existimare nullius se egere auxilio, ac sibi ipsi penitus acquiescere, quasi vel solus sapiat, vel quam optima in medium consulere valeat. *Quare nequaquam cunctemur ijs nos submittere,* qui nobis ea que decora sunt, consulunt; *nec unquam turpe esse ducamus, confidere,* alios, quoad vitam instituendam, nobis longe esse prudentiores. *Magnam profecto affert hominibus utilitatem consilium,* eo, quod nemo sibi sufficiat ad electionem rerum utilium honestarumque, sed pluribus sane socijs, ijsque soleribus opus habet. Quare etiam, qui volunt matrimonij se tradere, ne eos paci poeniteat, non innitantur prudentiae suae; sed prius generatim

VI.

Prou. 3: 5.
S. Basil. orat.
21. de felicitate.

Y y 3 delibe-

deliberent. Sitne' uxor ducenda? An vita celebs eligenda? Eā vel in seculo, vel in Religioso aliquo Ordine ducenda? Deinde, si quid statuerunt, ad peculiaria est descendendum, Quenam sū licet uxor? quando? ubi? & quibus conditionibus ducenda? An quis Ordo, vel statu potissimum, ad Dei gloriam, & propriis animis salutem consequendam, eligendus? Quæ omnia cum Patre spirituali quidem recte consultantur, possunt tamen & alij vii Deum timentes interrogari. Quod si de re vxoria agitur, pat est vtique, consciens etiam esse parentes: si de Religioso statu ineundo, raro' caro & sanguis boni sunt consultores. Vocante summo rerum Domino, obedire oportet Deo magis quam hominibus. Et fuit, qui sanctissimè suaderet alteri, vt, per calcatum patrem in limine se opponentem, iret ad Christum. Amantur filii magis plerumque à parentibus, quam parentes à filiis, & ramen Abraham, vt Deo obediret, filium suum voluit immolare: cur non vicissim filius vellet relinquere patrem, & adherere Deo, quod bonum est? cùm per matrimonium, relinquat homo patrem suum & matrem suam, & adherat uxori sue? ac Christus dicat: Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est mi dgnus. Certè S. Ambrosius, docens, patre inuito, sic puellam posse continentiam vouere, sicut nubere, ait, cui licet maritum eligere, non licet Deum preferre? Nam etsi suprà dixi, delinquerre eos liberos, qui sine consensu parentum matrimonia ineunt, addidi tamen, si id sine iusta & rationabili causa fiat. Potest enim id fieri, inscijs parentibus, quando credibile est, coniugium tale parentes ratum habituros, vt fecit Tobias in aliena regione, quem Angelus, qui cum eo erat, non iussit expectare, consensum parentum. Potest etiam fieri, vt pater prolem iniuste arceat à coniugio. Certè si sermo sit de matrimonio non

A. 5. 29.

Psal. 72. 28.

Gen. 2. 24.

Matth. 10. 37.

S. Ambr. lib.
de Virginibus.

Tob. 7. 10.

Sess. 24. cap. 1.

e. eum virum
tit. de Regu-
laribus.

jam contrahendo, sed contracto, Iure (ait Synodus Tridentina) damnandi sunt illi, qui falso affirmant matrimonia à filiis familiis, sine consensu parentum, contracta irrita esse, & parentes ea rataver irrita facere posse. Et in Iure Canonico, ait de puella nubili Clemens III. quia habet liberum arbitrium in electione propositi, parentum sequi non cogitur voluntatem. Aliud autem est, quare, quid necessarium sit, & aliud, quid conueniat? Si puber-

145

tas, quam Canones requirant, si consensus mutuus, si Parochus & duo testes adfint, etiam inscijs parentibus, sit coniugium; quod tamen non conuenit esse indeliberatum.

Quemcunque enim quis statum aggredi velit, sine delibera-
tione matura, aggredi non debet. *Palpebra tua procedam gres-
sus tuos, monet proverbum.* Quid mirum, si viam recalcat,
qui nesciuit, quo iret, dum exiret? Facile emptionis pœnitentia
eum, qui in tenebris emit mercem mala fide ambulantem.
Quid enim diuertia accusat, qui vel ipse, in matrimonio, ita
se gessit, ut bona coniuge indignus esset; vel coniugi omnia in-
dulxit, ut illius culpa, insolesceret, eamque dimittere oporteret?
Denique non est matrimonium ita penitus insolubile, ut, ante
mortem etiam, nulla fieri possit dissolutio, in remedium illo-
rum coniugum, qui periculose, & odiose cohabitarent. *Quos
Deus coniunxit, homo non separat, subaudi violenter, sine lege, absq;
ratione.* Non enim homo separat, quos pœna damnat, quos reatus
accusat, quos maleficium coarctat, ait Isidorus. Potest itaque in-
solubilitas matrimonij per eum, cui est mutandi potestas, tolli,
conditione accedente, quæ parit exemptionem. Neque mira-
culo opus est, quale scribit Pontius Compluti accidente, physi-
ca sexus mutatione; definit enim vtq; esse maritus aut vxor,
qui vir, aut quæ mulier definit esse; sed sufficit alijs etiam mo-
dis mutari materiam, seu rem, sub obiecto quidem legis per se
contentam, at nunc tali conditione, per accidens, affectam, ut
jam ab uniuersalitate subiecti, sub quo prius erat, excludatur.
Hanc rescindendi matrimonij potestatem Deus in utroque Te-
stamento ostendit, quando ius corporis utrumque traditum,
vtique restituit, ut illud alteri tradere posset. In veteri Testa-
mento concessus fuit libellus repudij. In novo, sustulit quidem
Christus libellum repudij; dedit tamen licentiam, ut infidelis
conuersus vxorem permanere nolentem dimittere, & aliam
ducere posset, teste Paulo dicente: *Quod si infidelis discedit, disce-
dit, nou enim seruituti subiectus est frater, aut soror in huiusmodi.*
Discedit autem infidelis non tantum quando alio migrat, sed
etiam quando non vult, modo decenti, coabitare, hoc est, si-
ne blasphemia Creatoris, sine Fidei iniuria, sine scandalo, sine
follici-

VII.

Prou. 4. 25.

Isidor. in
Matth. 19.Pont. lib. 7.
cap. 57.Deut. 24.
1. Esdræ 10. 5.
& seqq.
Matth. 19.

1. Cor. 7. 15.

Ita Innocent.
III. c. 7. & 8.
de diuortijs.

sollicitatione ad apostasiam, vel ad aliud graue peccatum.
Quoniam autem solutio coniugij, aut saltē separatio tori ac
cohabitationis, subinde, ad regimen animarum non modō vi-
lis, verū etiam necessaria est, dedit Christus etiam Pontifici &
Ecclesiæ amplissimam potestatem soluendi, quidquid esset solu-
bile, & cuius solutio ad ordinariam animarum gubernationem
prodesset.

Matth. 16.
Sanch. I. 2. d.
14. n. 2. Bon.
q. 2. p. 11.

VIII.

ai. nobilis
et ad amicis
Cap. 2. 7. &
14. de con-
uersione cō-
iugat. c. 16.
de sponsal. &
Trid. sess. 24.
can. 6.

Genes. 2:
Eccli. 25. 30.
Eph. 5.

Matth. 2.

Qua in re nonnulla se offerunt non ignoranda. 1. enim
in Ecclesiæ potestate est, ut rata, sed nondum consummata fu-
delium (infideles enim, quia Ecclesiastice potestati non sub-
funt, à Pontifice iuuari non possunt) matrimonia ob bonum
publicum aliamue grauem causam, possit rescindere. Quo pa-
cto Paulus III. & Pius V. ex consilio Nauarri, ter aut quater,
in matrimonij nondum consummati, dispensauerunt: & ge-
neralis per professionem religiosam, dirimendi matrimonij
rati concessio facta est. 2. Magis tamen insolubile est mat-
rimonium à fidelibus consummatum. Magna enim hinc, in sus-
ceptione, & educatione prelatis, incommoda oriuntur. Et
suppetunt alia remedia, quibus Ecclesia sibi subiectos ad offi-
cium potest compellere. 3. E matrimonio non tantum hac
insolubilitas prouenit, sed etiam *obligatio coabitandi*, seu coniun-
ctio tori & mensæ, quæ ad prolem adipiscendam educandam
que, ad incontinentiam vitandam, ad *domum regendam* atque
alia talia requiritur; indicata illis verbis: *Relinquet homo pa-
trem & matrem, & adhærebit uxori sua.* Quia autem mulier
primatum habeat, contraria est viro suo, idcirco *vir est caput mu-
lieris*, & totius familiae gubernator, vnde locus habitationis à
viro potest assignari, quem mulier, etiam extra patriam atque
in exilium sequi debet, nisi de hoc aliter contentum sit, in ma-
trimonij contractu. Hac de cauilla B. Virgo Deipara Iosephum
secuta esset in Ægyptum, etiam si Angelo non moneante Iose-
phus eō voluisse proficisci. 4. Hac coabitandi obligatio
multis est iucunda, multis acerba. Sed remedium præsto est.
Minus est cohabitationem, quam coniugium dissoluere. Inek
enim huic ad coabitandum obligationi tacita conditio, si scilicet
alter quoque se obliget, & obligationi satisfaciat. 5. Hac
innocens

innocens coniunx non oblitigatur, ad adulteram secum in-
toro, aut domo seruandam. *Frangent fidem, non tenemur serua-*
re fidem. Et hoc sensu permittit Seruator dimittere vxorem,
ob fornicationem, domicilij scilicet, non vinculi matrimonialis
diuortio. Cùm autem neque iudices puniant crimina nisi legi-
timè probata, neuter coniunx debet, aut potest, ob incertam
suspicionem, alterum sui iuris possessione priuare. Neque vero
diuortia tantum fieri possunt publicâ Iudicij, sed etiam priua-
tâ authoritate, si adulterum publicè notorium. Tunc enim
nec scandalum existit, nec noua infamia surgit. 6. Hunc in-
modum factò diuortio, potest innocens coniunx statum muta-
re, atque in religionem se abdere, & imitari Paulum eremitam,
vel Gangulphum, de quibus suprà memorauit. Nec enim tene-
tur recipere nocentem, quantumvis poenitentem. 7. Neque
sanè etiam cohabitandi obligatio ita arcta est, vt cum graui
quoque animæ vel corporis incommodo coniuges cogat coha-
bitare. Quare diuortium, non ob solam coniugis fornicatio-
nem, sed etiam ob alias caussas, si non usque ad mortem, sal-
tem ad tempus fieri potest, ad graue corporis, vel animæ dam-
num euitandum; cùm nemo ulli corpus, aut animam suam ali-
ter obligare censeatur. Itaque si alteruter coniux hæresin vr-
geat, si sit Orestes & in furiam datus, si flagellifer Ajax, si ve-
neficus, lue Gallica, aut morbo Syllano, si lepra, aut alio con-
tagioso morbo inquinatus; si plagosus, si crudelis, si vitilitiga-
tor; est modus separationis; quād diu caussæ hæ perseverant:
quæ si tollantur, à diuortio, ad consortium coniugale est re-
deundum. Et par est ratio, si mulier sit talis: si semper tonet,
cum Canidia tempestates, cum Dalila insidias coquat. *Non*, *Ecli. 25. 22.*
est caput nequius, super caput colibri: & non est ira super iram mu-
lieris, Commorari leoni & draconis placebit, quād habitare cum mu-
liere nequam. Nequitia mulieris immutat faciem eius, & obcæcat
vultum suum, tanquam ursus, & quasi saccum ostendit. In medio
proximorum ingemuit vir eius, & audiens suffiravit modicum. Bre-
uis omnis malitia super malitiam mulieris. Ab huius igitur con-
tubernio vir quoque habet modum fecedendi: non tantum
ad tempus, ut vacet orationi; sed quād diu durat malum. Quid

Zzz

quod

Reg. 75. in
sexta.
Matth. 19.

Con. d. 35.
nuv. 2. Hea-
rig. 1. 11. c. 17.
Sanch. 10. d.
12. n. 13. & 25.

Nicephor. 1. 8
hist. Eccles.
cap. 40.

Paul. Laym.
p. 3. c. 7. n. 17.

Ecli. 25. 22.

548 Cap. XLIII. An matrimonium magis insolubile esse conueniat?
quòd etiam sponte, ex mutuo coniugum consensu, vterque
potest ingredi in religionem? Vsque adeò multis modis Dei
matrimonijs prospexit, vt *insolubilitate* eorum nemo ad anima
sue exitium obligaretur. Sed multi etiam hīc sua culpa, ma-
lunt ægrotare, quām admittere medicinam.

C A P V T XLIII.

*Quinam, & an rectè matrimonium adhuc magis insolubile
esse optarent?*

Hec usque de illis locuri sumus, quibus *insolubilitas* est
odiosa; nunc etiam aliquid respondendum est ijs,
qui malent ipsam *insolubilitatem*, magis esse insol-
uble, & nullo vel casu, vel interitu disrupti posse. Nam vi-
diuersa sunt, inter mortales ingenia, ita & diuersa iudicia des-
ideriaque inueniuntur. Quemadmodum igitur alijs infautis
optant coniugijs absolui, ita & alijs ea vellent perpetuare, qui-
bus coniugia fausta contigerunt. His tam diuersis, immo ad-
uersis, non eadem remedia sunt proponenda. Ambierat, in
Saxonia, quidam insignem sponsam; eum fatuus homo inter-
rogauit: *E quando tandem eam duxurus esst?* Respondit: Pa-
tienter expectandum esse, donec ea sibi permitteretur. Subiecit non
fatuè fatuus: *Ubi eam acquisieris, expectandum quoque erit pa-
tienter, donec ab ea denuò absoluari.* Alijs scilicet præsentia, alijs
absentia coniugis est molesta. Illorum igitur medicina est mors
vxoris, horum vita illius. Hæc præsentia multis interrum-
pit modis. 1. Iam vir abest domo, jam mulier, vel amore
vagandi, vel necessitate negotiorum. 2. Virum itinera, bella,
hostes abducunt; & hi sèpe etiam vxorem. 3. Vtique mordi
in caussa sunt, vt præsentes, absentes videantur. 4. Qui-
haud raro, in ipso demum matrimonio, impedimenta quædam
patescunt, ob quæ matrimonium dirimitur. 5. Mors deni-
que certa est omniibus, quæ tanto amarius dinellit coniuges;
I. Reg. 15. 32. quanto dulcius vna vixerunt, vt proinde dici possit: *Sic in se-
parat amara mors?* Adueriens hæc D. Chrysostomus ait: *Si
de virginit. cap. 53.* coniuges concordissimè vixerint, illas incitat uxor, ne mors dirimat
coniuges